

quia, cum ipse bona fide petierit et obtinuerit absolutionem a reservatis, non apparet sufficiens fundamentum inducendi obligationem sub mortali ad implenda cætera opera cum nulli gravem injuriam inferat, sibi que solummodo noceat non lucrando Jubilæum, ad quod nulla lege sub mortali obligatur.

(32. Confessarius ex justa causa differens absolutionem pœnitenti potest, transacto Jubilæo, ipsum absolvere ab omnibus peccatis reservatis commissis ante transactum Jubilæum: Bossius, Diana, Lugo, Sanchez, Gobat, Bellegambe, Sanctarell., La Croix loc. cit., num. 1473; Viva qu. 11, art. ult., et alii passim. (33. Imo Bossius, Faustus lib. iv, qu. 33; Viva loc. cit., artic. ult., et alii absolute dicunt posse confessarium ipsum absolvere etiam a peccatis reservatis commissis post transactum Jubilæum, quod probabiliter tenent Sanctarell. de Leon., Diana et alii; quia Papa saltem permittens sic differri confessionem, vult ut pœnitens lucretur Jubilæum. Non posset autem lucrari Jubilæum, nisi absolvi posset etiam ab illis ultimis reservatis. Econtra vero Sanctarell., Lugo, Gobat, apud Bellegambe p. iii, sect. 5, qu. 2, probabilius dicunt non posse absolvi a peccatis reservatis commissis post transactum Jubilæum, quia jurisdictio prorogatur solum respective ad peccata tempore Jubilæi existentia, quod certum esse dicit Rhodes, et limitat Aversa q. 17, sect. 8, nisi Papa ipse concesserit facultatem differendi confessionem.

(34. Confessarius jubilaris ratione facultatis sibi concessæ commutandi vota, potest ordinarie commutare omnia vota, exceptis votis castitatis et religionis. *Communis*, et clare patet ex verbis bullæ edi solitæ pro Jubilæis. (35. Talis potestas commutandi vota se extendit etiam ad vota jurata seu juramenta, quia quantum ad hoc eadem est ratio de voto et juramento, cum eadem sit voti ac juramenti obligatio passiva: Gobat in Quinario, tract. 3, c. 38, num. 287; Diana par. i, tract. 11, resolut. 43; Suarez lib. vi de voto, cap. 14, num. 19; La Croix lib. vi, par. ii, n. 1459; Illsung tom. V, num. 70; Bellegambe part. iii, sect. 12; Moya, Sanchez, Tamburin., Castrop., et alii plures, contra Navarr., Less., Azorium et alios.

(36. Item se extendit ad vota in favorem tertii facta, et nondum acceptata, ut si quis vovit alicui ecclesiæ calicem, alicui pauperi elemosynam, et hujusmodi, tunc enim tale votum potest commutari, quia nullum adhuc jus est acquisitum ecclesiæ, pauperi, etc. Diana part. i, tract. 11, resolut. 47; Sanch. lib. iv Moral., cap. 41, n. 9; Gobat loc. cit., nu. 288; Suarez loc. cit., lib. vi, cap. 15, num. 3 et 11; La Croix lib. iii, par. i, num. 533 et seq., et alii communiter. (37. Secus autem, si vota facta in favorem tertii jam essent acceptata, ut si ille tertius promissionem in voto inclusam, et non injuste extortam, acceptasset, quia tunc illi tertio esset jus acquisitum ad rem in voto promissam. *Communis*. (38. Item confessarius ju-

bilaris commutare potest promissiones factas sanctis quæ veniunt nomine voti, licet re ipsa vota non sint, Gobat loc. cit., n. 289; La Croix lib. iii, par. i, n. 514; Bellegambe et alii. (39. Item commutare potest votum de non petenda commutatione aut dispensatione votorum: Suarez, Sanchez, Pellizarius, et alii communiter, cum Viva q. 12, art. 1, n. 4.

(40. Confessarius jubilaris commutare potest etiam vota castitatis et religionis, quando sunt pœnalia, ut si quis voveat se religionem ingressurum, si adhuc blasphemaverit, si se inebriaverit, et hujusmodi. Hoc votum potest dispensari a confessario jubilaris, non solum ante blasphemationem, inebriationem, et hujusmodi, ut habet communis, sed etiam post illam, quia hujusmodi votum procedit non ex affectu religionis aut castitatis, sed in frenum et tanquam medium ad finem intentum. Unde tale votum non est proprie votum religionis, sed pœnitentiæ; directe enim potius vovet non blasphemare, se non inebriare, et hujusmodi, et religionem potius eligit velut pœnam, et non tanquam materiam quæ promittatur Deo absolute et ex affectu illius, quod proprie spectat ad votum, adeoque, etc. Gobat, Sa, Suarez, Sanchez, Viva quæst. 12, artic. 2, num. 1; La Croix lib. iii, part. i, num. 546, et alii plures, contra Azorium, Lessium et alios. (41. Item commutare potest vota castitatis et religionis, quando sunt conditionata, ut si quis voveat religionem, si convalescerit, si aliquid periculum evaserit, si tale intentum obtinuerit, et hujusmodi; Sanchez lib. viii, qu. 10; Diana par. i, tract. 11, resolut. 54; Viva loc. cit., n. 2; La Croix loc. cit., num. 545, et ipso teste, alii communiter contra Cordubam, Navarrum et Azorium. Nec solum commutari potest tale votum conditionatum ante conditionem impletam, uti volunt Suar., Filliuc., Bonac. et alii, ex quo dicunt ipsi, impleta conditione transierit in absolutum, sed etiam commutari potest post impletam conditionem; Viva loc. cit., num. 2; Bellegambe part. iii, sect. 13, q. 2; La Croix loc. cit., n. 545, et ipso teste, alii communiter contra Lessium, Layman, Suarez, Filliucium et Bonacinam. Et ratio est, quia tale votum ab initio non fuit reservatum, cum non fuerit promissa Deo religio ex affectu ad ipsam, sed ex affectu salutem recuperandi, evadendi a periculo, vel obtinendi tale intentum, quod rigore non est votum religionis, quod solum est reservatum; adeoque, si non fuit reservatum ab initio, nec tale fit post impletam conditionem, cum nulla nova voluntas accedat. Licet enim vota conditionata, purificata conditione evadant quodammodo absoluta, nihilominus de se sunt imperfecta, quia imperfectum est eorum principium, quod spectari debet ex l. *Nam origo*, ff. *Quod vi, aut clam*. Imo Diana cum aliis apud La Croix loc. cit. addit quod, etiamsi post impletam conditionem fuisset confirmatum, non ideo esset reservatum, quia confirmatio semper cadit super ideam

votum ab initio conditionale, nisi nunc esset emissum independenter a primo voto.

(42. Item commutare potest confessarius jubilaris votum alternativum, seu disjunctivum, cujus altera pars est commutabilis, ut cum quis vovet vel castitatem vel peregrinationem, cum enim possit ipse eligere peregrinationem, quæ est commutabilis, poterit absolute tale votum commutari; Suarez, Sanch., Azorius, Bonacina, Castropal., Rebell., cum La Croix loc. cit., num. 548, et alii, cum Bellegambe par. iii, sect. 13, q. 2; Viva loc. cit., n. 4, arg. cap. *In alternatis* 70, de Reg. juris in 6, ibi: *In alternatis debitoris est electio, et sufficit alterum adimpleri*. (43. Imo tale votum esse commutabile, etiamsi altera pars, scilicet peregrinatio, fieret vovendi impossibilis, et quamvis vovens postea proposuerit eligere castitatem præ peregrinatione, dummodo illam absolute non promiserit, seu voverit, quia talis impossibilitas peregrinationis, et tale propositum eligendi castitatem præ peregrinatione non immutat rationem voti præsuppositi in ratione voti; Diana, Tamburin., Malder, Moja, Illsung, Bellegambe, cum La Croix loc. cit., n. 548; Suarez, Layman, Filliucius, cum Viva loc. cit., num. 4, contra Bonacinam et alios.

(44. Confessarius jubilaris potest commutare vota castitatis et religionis, si emissa sint ex metu, etiam levi tantum ad ea extorquenda injuste incusso, quia talia vota non sunt perfecte libera et deliberata: Sanchez, Henric., Layman, Trullench., Castropal., Bonacina, Navarr., Diana cum Viva loc. cit., num. 5; Lessius, Illsung, Bellegambe, cum La Croix loc. cit., num. 544. (45. Item commutare potest votum assumendi sacros ordines, quia tale votum non est reservatum, cum sit tantum votum vovendi castitatem, et necdum castitatis. Sacris enim ordinibus non est annexa castitas ex natura rei: Lessius, Sanchez, Diana, Castropal., Henric., Sa, Suarez, cum La Croix loc. cit., num. 562; Bellegambe loc. cit., quæst. 3; Illsung loc. cit., num. 145; Viva loc. cit., num. 9; Gobat loc. cit., capit. 40, num. 313. (46. Item commutare potest vota castitatis et religionis emissa ab impuberibus, quia ante pubertatem imperfecta est deliberatio et promissio, et hinc est quod non possint impuberes ante pubertatem eligere statum naturæ suæ perpetuum, qualis est status matrimonialis: cap. *Attestationes* 10, de Desponsatione impuberum. Et sic *Communis doctorum*. (47. Item commutare potest votum non nubendi, quia non est votum omnimodæ castitatis, quod requiritur ad reservationem: Henric., Valerius, Sanchez, Tamburin., Bellegambe, cum La Croix loc. cit., num. 559; Gobat loc. cit., cap. 40, num. 313. (48. Item commutare potest votum non petendi nec reddendi debitum, quia nec ipsum est votum omnimodæ castitatis: Sanctus Antoninus, Sa, Henriquez, cum La Croix loc. cit., num. 559, ubi ex Lessio et Bellegambe addit hoc verum esse, licet factum esset de mutuo consensu conjugum. (49. Item com-

mutare potest votum castitatis emissum ad certum tempus, quia ad hoc, ut sit reservatum, debet esse perpetuum. Navarrus, Sotus, Sanchez, Castropal., Layman, lib. iv, tract. 4, c. 8, n. 8; La Croix loc. cit., n. 557; Gobat loc. cit.

(50. Vota a confessario jubilaris commutata non reviviscunt, etiamsi non ponantur deinde opera pro Jubilæo lucrando injuncta, quia commutatio est absolute facta: Viva qu. 12, art. ult., num. 1, et alii passim. (51. Etiam post tempus Jubilæi obtineri potest votorum commutatio. Si enim pœnitens tempore Jubilæi oblitus sit petere sui voti commutationem, fecerit tamen omnia opera præscripta, poterit illius commutationem exigere et obtinere a quocunque confessario a loci ordinario approbato, etiam post Jubilæum: Sanchez lib. iv, de voto, c. 54, n. 36; Diana par. v, tract. 12, resolut. 40; Viva qu. 12, art. ultim., n. 3; Portell. verb. *Jubilæum*, n. 7; Gobat in Quinario, tract. 3, cap. 39, n. 308, ubi ex Lessio lib. ii, de Justitia c. 40, n. 109, expresse dicit posse etiam post annum peti talem commutationem, et quidni post vicennium! Et ratio est quia Jubilæum semel obtentum dat jus omni tempore, etiam post Jubilæum, eligendi confessarium pro iis gratis acquirendis quæ tempore Jubilæi obtineri poterant, et tamen obtentæ non fuerunt; tale enim privilegium non est alligatum tempori, sed natura sua est perpetuum. (52. Imo secundum aliquos pœnitens, etiamsi memor sui voti noluerit petere dispensationem tempore Jubilæi, poterit æque illius commutationem post decennium petere, ac si tempore Jubilæi esset oblitus, quia favores Jubilæi semel acquisiti non magis prosunt oblitis quam iis qui fuere memores. Sic Gobat loc. cit., num. 309; Sanchez loc. cit., n. 45; Lessius loc. cit., num. 109, et alii, contra Suarez, Bonacinam, Filliucium, volentes non posse pœnitentem obtinere commutationem votorum post tempus Jubilæi, quorum opinio non est improbabilis.

(53. Confessarius jubilaris, ratione facultatis sibi concessæ commutandi opera præscripta, potest ea commutare in alia, etiam aliunde debita, v. gr. ex voto, pœnitentia, præcepto: La Croix, lib. vi, part. ii, num. 1444; Bellegambe part. i, sect. 3, qu. 1; Gobat in Quinario, tract. 3, cap. 17, num. 108; Lugo, et alii passim, contra Armillam, Bonacinam, Tabienam, et alios. Et ratio nostra est, quia, sicuti moraliter certum esse debet, per illa eadem opera quæ præscribit Pontifex, obtineri posse Jubilæum, etiamsi aliunde debita sint, ut observat Layman lib. v, tract. 7, c. 3, n. 13, ita confessarius jubilaris opera a Pontifice præscripta commutare potest ex rationabili causa in opera, quæ pœnitens jam ex præcepto, voto aut pœnitentia facere tenebatur, quia *Subrogatum naturam sequitur, et conditionem illius pro quo subrogatur*, ut, teste Gobat loc. cit., tenent doctores communiter per textum in cap. *Ecclesia* 3, *ut lite pendente*. (54. Commutatio operum debet fieri

in opera moraliter æqualia; aliter non esset pura commutatio, sed partialis dispensatio. Et talis æqualitas spectanda est, non tam in ordine ad præstantiam aut pœnalitatem operis, quam in ordine ad mentem et finem Papæ Jubilæum concedentis: Gobat loc. cit., num. 109; La Croix loc. c., n. 1444; Rodriguez., Navarrus, Layman, Lugo, et alii passim.

(55. Fessarius jubilaris poterat olim commutare omnia opera præscripta, quia bullæ antiquæ in facultate commutandi opera omnia solebant exprimere. Nunc vero, ut notat Lugo disp. 27, de pœnitent., n. 118, et ex ipso Claudius La Croix, loc. cit., num. 1441, et alii, bullæ solent exprimere solum commutationem jejunii, eleemosynæ, visitationum templi, et orationis, nulla facta mentione confessionis et communionis. Unde diligenter sunt attendendæ bullæ, et si alia opera exprimant, et nullam faciant mentionem de confessione et communionem, non est de istis faciendæ commutatio, quia bullæ tantum valent quantum sonant; et si etiam de istis velle possent fieri commutationem, etiam de istis exprimerent: arg. c. *Inter corporalia* 2, de translatione episcopi, et c. *Quia circa* 22, de privilegiis. (56. Dato tamen casu quo aliquis ante ultimam Dominicam omnibus præter communionem peractis, vellet ipsa ultima Dominica communicare, sed inadvertenter mane jejunium naturale violasset, posset confessarius illa ipsa ultima Dominica communionem commutare in aliud pium opus, quia adesset moralis impossibilitas communicandi, et *impossibile nullum est obligatio*: 1. *Impossibile*, ff. de Regul. Juris, etc. *Nemo potest* 7, de Regulis juris in 6, ibi: *Nemo potest ad impossibile obligari*. Et quod non est licitum in lege, necessitas licitum facit: c. *Quod non est*, de Regulis juris; c. *Quoniam* 13, caus. 1, q. 7; c. *Concilium* 2, de observ. jejunior.; c. *Omnes* 1, de Feriis, cum similibus, Sanctarell. c. 7, dub. 1; Gobat l. c., num. 112; Bellegambe sect. 8, q. 2; Diana par. III, tract. 4, resol. 152, et alii passim. (57. Et communionem posse commutari cum pueris, docet Vega, Sanctarell., Hurtad., Bossius, Faustus, apud Vivam quæst. 8, art. 4, num. 4, qui tamen cum Vasq. probabile putat non esse opus commutationis, quia cum a jure seu a consuetudine prohibeantur pueri communionem sumere, idque noverit Summus Pontifex, videtur non exigi ab iis sacra communio, arg. c. *Tua de testamentis*, ubi conditio de jure impossibilis, etiamsi apponatur, habetur pro non apposta.

58. Ad legitimam operum commutationem non sufficit quodcumque impedimentum, sed requiritur impedimentum cum impotentia saltem morali proveniente ex notabili gravique difficultate. Colligitur ex tenore bullarum Jubilæi, quæ solent apponere particulam: *Qui nequeunt*. Verbum autem *Nequeo* proprie significat impotentiam saltem moralem supra expressam. Sic Gobat loc. c., n. 29 et seq., et ipso teste, sic habet praxis,

et *Communis doctorum*. (59. Si tamen causa commutandi fuerit re ipsa insufficientis, sed bona fide judicata sit a confessario sufficiens, adhuc valet talis commutatio pro Jubilæo lucrando, quia commutatio remittitur iudicio confessarii, et ex c. *Cognoscentes* 2, de Constitutionibus: *Rem quæ culpa caret in damnum vocari non convenit*. Gobat loc. cit., n. 103; La Croix loc. c., n. 1443, et alii.

(60. An autem hæc facultas commutandi opera præscripta, sicuti et quælibet alia ex assignatis supra sub n. 16, solitis concedi confessariis vi Jubilæi, debeat exerceri intra vel extra sacramentum confessionis, non omnes conveniunt doctores. (61. Primam enim, nempe *facultatem absolvendi a quibuscunque censuris*, posse exerceri pro foro interno extra confessionem, etiamsi in bulla dicatur *auditis confessionibus*, docet Sanchez de Matrimonio lib. VIII, d. 34, n. 30; Gobat in Quinario, tract. 3, c. 34, a n. 257; Coninch., Trullench., Baldi, Avila et alii, cum Diana, part. 1, tract. 11, resolut. 250, quia dicunt ipsi, illa verba *auditis confessionibus* videntur significare, *auditis peccatis* propter quæ contracta est censura. Nam absolutio a censuris nullam habet connexionem cum absolute sacramento. (62. At vero probabilius dicendum est cum Suarez tom. V, in III parte, disp. 7, sect. 5, n. 36, et lib. VI, de Voto, Vasquez, Navarr., Filliucio, Viva q. 10, art. ult., n. 4; La Croix, lib. VII, n. 161, et aliis, communis non posse exerceri talem facultatem extra sacramentum confessionis, maxime quando in bulla dicitur quod absolutio conferatur *auditis confessionibus*; quia, quando in bulla ponuntur dicta verba, clare denotatur quod absolutio a censuris debeat conferri eodem tempore quo confertur absolutio a peccatis. Hinc Pignatell. tom. I, consult. 20, cum pluribus aliis docet quod, quamvis dispensatio et absolutio pro foro externo dari possit absenti, aut etiam invito, tamen in commissionibus sacre Penitentiarie non potest absenti dari absolutio, si addatur *pro foro conscientie*, et ideo sæpe additur *in actu sacramentalis confessionis*.

(63. Secunda facultas, nempe *absolvendi a quibuscunque peccatis*, id est etiam a reservatis, exerceri non potest extra sacramentum confessionis, quia licet, reservatio possit extra sacramentum confessionis tolli ab aliis qui habent potestatem ordinariam absolvendi a talibus peccatis reservatis, tamen fieri debet in confessione ab illis qui habent delegatam tantum potestatem, uti sunt confessarii vi Jubilæi electi. Delegatur enim illis ut, auditis confessionibus, absolvant a reservatis. Gobat. loc. c., cap. 32, n. 239; Suarez, Vasquez, Lessius, Lugo, Bordon., Bellegambe. cum La Croix, lib. VI, p. 2, num. 1452, ubi subjungit oppositum videri dicere alios, quos ipse citat sub n. 1695.

(64. Tertia facultas, nempe *commutandi vota*, potest probabiliter exerceri etiam extra confessionem. Suarez, Sanchez, Henriquez., Bonacina, Layman, Castropal., Diana, Gobat cum Bellegambe de Jubilæo, p. III, sect. 2, qu. 5; La Croix, lib. III, p. I, num. 507, et

lib. VI, part. II, n. 1460. Et ratio est, quia nullibi præscribitur quod commutatio votorum fiat in sacramento confessionis, quamvis enim in bulla solet dici quod *confessionibus auditis valeat absolvere a peccatis et commutare vota*, tamen verba illa *confessionibus auditis* referri debent in ordine ad absolvendum a peccatis, et non in ordine ad commutanda vota, quia facultas commutandi vota, cum non concernat actum confessionis, potest extra confessionem exerceri. (65. Imo Bellegambe et La Croix, locis citatis, Tamburinus et alii, tenent quod commutatio votorum fieri possit etiam cum absente. (66. Insuper Sanchez lib. IV, cap. 54; Diana p. III, tract. 2, resolut. 9, et alii apud ipsos; La Croix lib. III, p. I, n. 507, et lib. VI, part. II, num. 1460 et alii, docent posse fieri commutationem votorum etiam a confessario qui non audit confessionem pœnitentis, et cui pœnitens nullatenus vult confiteri. Licet enim hoc spectet ad forum conscientie, non ideo spectat ad forum pœnitentiæ. (67. Oppositum tamen tenent vere probabiliter Rodriguez, Beya, Sayrus et alii, cum quibus videtur consentire etiam Viva q. 12, art. ult., n. 2, ubi adducta supradicta opinione subjungit: *Verum de hujus opinionis probabilitate alii judicent*. Vide verb. *Impedimenta matrimonii* art. 3, n. 36 et 37.

(68. Quarta facultas, nempe *commutandi opera præscripta*, potest fieri extra confessionem, dummodo intra tempus Jubilæi, etiam a confessario, cui posset confiteri pœnitens, quamvis ei confiteri non cogit. Sic tenent et declaratum referunt a Gregorio XIII, Sanchez, Lugo, Busemb., et alii plurimi, cum Bellegambe, part. III, sect. 8, q. 5; La Croix lib. VI, part. II, num. 1439, et alii. (69. Aliqui tamen, ut refert La Croix, loc. cit., dubitant, quia per confessarium dicunt debere intelligi confessarium pœnitentis lucraturi Jubilæum; confessarius autem cui non cogit confiteri, non potest dici confessarius pœnitentis.

(70. Quoad confessarium jubilem afferatur attendenda sequens Resolutio.

PATAVINA

Facultatis absolvendi.

Occasione universalis Jubilæi nuper indicti pro imploranda divina ope adversus Turcas, tres sacerdotes capuccini in Patavina diœcesi absque approbatione et licentia eminentissimi episcopi confessiones sacramentales plurium sæcularium personarum publice exceperunt; et quamvis fuissent moniti a parochia de eorum inhabilitate, attamen ab inceptis desistere noluerunt. Accersiti postea ab ipsomet eminentissimo episcopo ad docendum de eorum prætensa facultate absolvendi, responderunt quod in opinione probabili aliquorum auctorum regularium, primus eorum uti Guardianus, et prælatus regularis, secundus uti approbatus in aliena diœcesi, et tertius uti approbatus ab ipso episcopo Patavino in alio loco diœ-

cesis ad annum, licet jam elapsus, potuerunt licite et valide tempore Jubilæi excipere dictas confessiones absque nova ordinarii approbatione. Eminentissimus autem episcopus animadvertit huic prætensioni resistere tum constitutiones san. mem. Urbani VIII et Innocentii X, relatas per Fagn. in capit. *Sane*, de Offic. et potest. Judicis Delegati; tum constitutiones san. mem. Alexandri VII 3 januarii 1636, et Clementis X de anno 1670, quæ omnes expresse prohibent ne regulares absque approbatione ordinarii confessiones audiant, quamvis in alio loco approbati; tum etiam responsa hujus sac. congregationis super dubiis ad bullam san. mem. Gregorii XV incip. *Inscrutabili*, tum denique expressam mentem sanctissimi Domini nostri, qui in bulla præfati Jubilæi requisivit confessarios ab ordinariis locorum esse approbatos: unde plurimum dubitans de viribus hujusmodi confessionum, ab oraculo hujus Sac. Congregationis quanto citius responderi petit.

Primo an licite?

Secundo, an valide dicti Capuccini sæcularium confessiones exceperint? Et sac. cong. Conc. die 11 Dec. 1683, respondit.

Ad primum, *Illicite*.

Ad secundum, *Invalide*; sed non esse inquietandos illos qui bona fide confessi sunt. Attamen, si ipsi confessi hoc resciverint, vel de invaliditate Confessionis dubitaverint, eosdem teneri reiterare confessionem.

Quo vero ad Capuccinos, eminentissimus ordinarius conficiat processum circa administrationem sacramenti pœnitentiæ ab iisdem exercitam, non obstante contraria dispositione sacri concilii Tridentini et constitutionum apostolicarum, et transmittat.

Sic refert cardinalis de Lambertinis, postea Summus Pontifex, in suis eruditissimis notificationibus, volumine I, notificatione 17, in fine.

(71. Jubilæi concessio non tribuit sacerdoti facultatem excipiendi confessionem personæ complicitis in peccato turpi. Bened. XIV, tom. I, constit. 20, incip. *Sacramentum Penitentiae*, § 5.

(72. Absolutio ab hæresi etiamsi expresse non reservetur in bulla Jubilæi, adhuc tamen non censetur permissa, etiamsi bulla absoluteionem a criminibus in bulla *Cæna* expressis in genere permittat, ut decrevit sacra congregatio Sancti Officii die 23 martii 1656, sub Alexandro VII, Institut. Eccles., 48, § 15.

In Jubilæo confessarii ab ordinario alterius loci approbati nullam habent facultatem absolvendi. Sicut nec habent illi qui ab ordinario loci semel quidem illam obtulerunt, sed modo cessavit. Ita ex pluribus decretis sac. congr., Institut. Eccles. 84, § 27. Ubi tamen ex sensu ejusdem sac. congregationis additur fideles sic bona fide ab ejusmodi confessariis absolutos non esse inquietandos. Ibidem, § 27.

ARTICULUS III.

Jubilæum quoad ea quæ concernunt opera

præscripta, tempus et locum pro ipso lucrando.

SUMMARIUM.

1. Opera præscripta pro Jubilæo lucrando septem assignantur, quæ ab ordinariis augeri nequeunt. Ad n. 2. — 3. Nemo tenetur absolute interesse processionibus, et qui interfuit non tenetur visitare ecclesias. Ad n. 5. — 6. Visitatio ecclesiarum est necessario faciendâ, et quomodo. Ad n. 16. — 17. Oratio requisita pro Jubilæo lucrando quomodo, et in quo loco fieri debeat. Ad n. 20. — 21. Confessio actualis pro lucrando Jubilæo an sit necessaria, et an, et quando sufficiat contritio, vel confessio sacrilega. Ad n. 25. — 26. Communio actualis est necessaria pro lucrando Jubilæo; et an sufficiat communio antea facta, vel communio sacrilega. Ad n. 28. — 29. An dicta communio requiratur in pueris, et an possit pro ipsis commutari in aliud opus pium. — 30. Jejunium pro Jubilæo lucrando quibus diebus præscribi soleat, quomodo observari debeat, et in quæ alia opera possit commutari. Ad n. 38. — 39. Ad eleemosynam dandam pro Jubilæo lucrando qui teneantur, et assignatur praxis servanda pro religiosis in eleemosyna largienda in casu, etc. Ad n. 40. — 41. Eleemosyna quanta esse debeat, et an possit per alterum dari. Ad n. 42-43. Nomen pauperum quibus danda est eleemosyna quinam intelligantur. — 44. Opera præscripta an omnia, et quando adimpleri debeant. — 45. Confessionis et communionis anticipatio aliquorum dierum an sufficiat pro Jubilæo lucrando. — 46. Lucratorus Jubilæum sufficit si sit in statu gratiæ quando ponit ultimum opus. — 47. Jubilæum ad duas hebdomadas concessum an possit bis obtineri. — 48. Opera præscripta quomodo adimplenda. — 49. Jubilæum ad duas hebdomadas concessum quot dies comprehendat, et quid circa tempus promulgandi, inchoandi, et perficiendi Jubilæum possint episcopi, vel parochi determinare, vel non. Ad n. 55. — 56. Opera præscripta pro Jubilæo lucrando an impleri possint partim in uno, et partim in alio loco; et an replicando opera præscripta possit in diversis locis iterum Jubilæum lucrari. Ad n. 72.

(1. Septem sunt opera quæ solent præscribi et exigi pro Jubilæo lucrando, scilicet, processio, visitatio ecclesiarum, oratio in illis, confessio, communio, jejunium et eleemosyna, ut patet clare ex bullis quæ pro Jubilæis edi solent. (2. Ordinarii non possunt nec debent plura requirere quam hæc septem, quæ requirit Papa. Bellegambe de Jubilæo, part. III, sect. 2, quæst. 10; La Croix l. VI, part. II, num. 1457, et alii passim. (3. Quantum ad processionem, quamvis sit gravis obligatio eam indicendi et instituendi, ex quo bullæ pro Jubilæis edi solite in virtute sanctæ obedientiæ, et districtæ præcipiant ac mandent ordinariis locorum et curam animarum exercentibus, ut clericis et populis sibi subjectis solemnes processiones indicant et celebrent; (4. tamen nemo absolute tenetur interesse processionibus, nam bullæ disjunctive et alternative loquuntur: *Qui processioni interfuerint, aut ecclesiam, seu ecclesias visitaverint.* Adeoque sufficit alterutrum præstare, nam cap. *In alternativis* 70, de Regulis juris in 6, dicitur expresse: *In alternativis* (id est sub disjunctione propositis) *debitoris est electio, et sufficit alterum adimpleri.* Hinc qui nequeunt vel nolunt processionibus interesse, non indigent, ut sibi fiat processio in aliud

commutatio, sed vel processionibus, vel ecclesiis, seu ecclesiarum visitationibus. Gobat in Quinario tract. 3, cap. 19, num. 123 et sequent., et alii passim. (5. Qui interfuit processionibus non tenetur visitare ecclesiam seu ecclesias pro lucrando Jubilæo, quia processiones solent dirigi ad ecclesias pro visitatione designatas, ut patet ex praxi. Gobat loc. cit., cap. 20, num. 1, et alii communiter.

(6. Visitatio est necessario faciendâ illarum ecclesiarum, quæ fuerint ab ordinario loci aut curam animarum habente designatæ; sic habetur clare ex verbis bullæ, et tenent communiter doctores. Hinc regulares etiam tenentur visitare ecclesiam seu ecclesias designatas ab ordinario, et si sua propria ecclesia fuerit ab ordinario designata pro visitatione, regulares ibi commorantes satisfaciunt eam visitando, dummodo tamen non fuerit ab ordinario designata solummodo pro mulieribus, quia tunc tenerentur visitare aliam ecclesiam designatam pro viris. Felix Potestas tom. I part. IV, num. 8343; Bardi, et alii. (7. Quando quis præ nimio hominum concursu nequit ingredi ecclesiam visitandam, satisfacit visitando extra portam ibique orando. Lugo tom. VI, disp. 27, n. 97; Gobat loc. cit. cap. 20 n. 129; Suarez, Bonacina et alii cum Diana, part. I, tract. 11, resolut. 103; La Croix loc. cit. n. 1433, et alii passim. (8. Imo, si ratione talis nimii concursus, ne quidem ad portam ecclesiæ pertingere posset, satis esset visitare et orare in cœmeterio, quia et hoc modo dicitur moraliter visitare ecclesiam: cœmeterium enim in favorabilibus venit nomine ecclesiæ: argument. cap. *Odia* 15 de Regulis Juris, ibi: *Favores conveniunt ampliari*; Suarez tom. IV, d. 52, sect. 1, n. 7; Lezana verb. *Jubilæum*, n. 11; Layman, lib. V, tract. 7, cap. 3, num. 4; Gobat loc. cit. num. 129, et alii. (9. Quando præscribitur orari in certa capella, vel ad certum altare ecclesiæ, oportet ingredi. La Croix, loc. cit., n. 1433, et alii. (10. Quando præscribitur visitatio plurium altarium in eadem ecclesia, non sufficit esse in ipsa ecclesia, et animo converti ad illa altaria, sed requiritur ut aliquo signo sensibiliter conversione capitis aut corporis significetur et demonstretur conversio animi ad singula designata altaria, quia exigitur visitatio sensibilis, nempe talis actio, quæ exterius indicet orationem aut alium actum religiosum fieri ad talia altaria. Lugo loc. cit., num. 89; Gobat loc. cit., n. 131, et alii passim. (11. Si autem in aliqua ecclesia non essent tot altaria quot visitari præscribitur, satisfaciet quis tot inclinationes et orationes repetendo ad illa quæ ibi existunt quot altaria visitare debuisset: Diana part. I, tract. 11, resolut. 102; Bellegambe p. III, sect. 4, quæst. 9; La Croix loc. citat., num. 1433; Escobar et alii.

(12. Quando præscribitur visitatio plurium ecclesiarum, non requiritur quod visitentur omnes una die, sed sufficit quod visitentur intra eandem hebdomadam qua quis intendit lucrari Jubilæum, nisi tamen in aliqua bulla quid diversum præscriberetur, quia

tunc esset ipsi standum: La Croix loc. cit., n. 1433, et alii passim. (13. Qui missam pergat audire in ecclesia designata, hoc ipso visitat: Bellegambe part. II, sect. 5, qu. 5; La Croix l. c., n. 1432, et alii. (14. Visitatio ecclesiarum potest fieri etiam curru, vel equo; Gobat l. c., n. 132; La Croix l. c., n. 1432; Benzoni et alii. (15. Debet tamen visitatio fieri devote, ut dicit bulla; devote autem censetur fieri etiam a constituto in mortali; item ab immodesto et peccante per viam, si modeste ingrediatur ecclesiam, et devote oret in ea, quia, ut dicitur infra sub n. 46, non est necesse quod omnia opera peragantur in gratia, sed sufficit si in gratia peragatur opus ultimum. Bellegambe loc. cit., q. 6; Gobat loc. cit., num. 127; La Croix loc. cit., num. 1432; Peyrinus, Navarrus et alii. (16. Qui vicini sunt ecclesiæ designatæ, et qui habitant in ea, ipsam visitando consequuntur tantam indulgentiam, sicuti illi qui veniunt a longe, quia remissio non proportionatur labori, sed meritis, quæ dispensantur. S. Thomas dist. 29, qu. 1, art. 3, quæst. 2 ad 4; Gobat loc. cit., num. 132; Navarrus et alii passim.

(17. Oratio pro Jubilæo lucrando requisita, nisi aliud constet ex bulla, sufficit, etiamsi sit pure mentalis, quia oratio mentalis est proprie oratio et fusio precum; imo magis proprie quam vocalis; quia vocalis in tantum est oratio, in quantum conjungitur cum mentali. Ita Navarrus, Filliucus, Trullench., Gobat et alii cum Viva, q. 8, art. 5, n. 7, ubi dicit sic communiter sentire doctores cum supracitatis. La Croix tamen loc. cit., num. 1421, dicit quod communis sententia requirit orationem vocalem, et Lugo tom. VI, disp. 27, n. 111, testatur quod communiter requiritur oratio vocalis. Recte autem subjungit quod, quamvis non sit improbabilis opinio dicentium sufficere orationem mentalem, tutius tamen erit aliquid miscere de oratione vocali, quod et dicit La Croix loc. cit.; Gobat loc. cit., et alii. (18. Quando præscribitur oratio indeterminate, sufficit brevissima: Suarez, tom. IV, disc. 52, sect. 8, num. 5; Diana part. V, tract. 12, resolut. 33; Gobat loc. cit., num. 140; Bossius in tract. de Jubilæo, sect. 4, cap. 17; Filliucus tom. I, tract. 8, cap. 6, num. 164 et sequent. Lezana verb. *Jubilæum*, num. 13, et alii. (19. Quando vero præscribitur orari per aliquod temporis spatium, sufficit quia devota repetitio orationis Dominicæ et Salutationis Angelicæ. Gobat loc. cit., sub num. 140. Imo Quintanadvenas tract. 2, dub. num. 7, in Appendice loquens de clausula, *per aliquod temporis spatium preces fundat*, dicit sufficere si quis oret prout unicuique suggerit devotio, et sufficere ex Rodriguez trium orationum Dominicarum vel Salutationum Angelicarum recitationem, quinimo ipse Quintanadvenas existimat satisfactorum qui recitaret psalmum *Laudate Dominum, omnes gentes*, aut unicam orationem Dominicam, aut unicam Salutationem Angelicam. (20. Oratio debet fieri in loco et tempore designatis, et ad mentem

Summi Pontificis; et sufficit si quis dicat: *Intendo orare ad mentem Summi Pontificis præscriptam in bulla*; Gobat locis citatis, num. 141 et 144; La Croix, loc. cit., num. 1432, et alii passim.

(21. Confessio actualis est necessaria, et non sufficit contritio ad lucrandum Jubilæum, quando in bulla Jubilæum concedente requiritur confessio, et lucraturus Jubilæum seu indulgentiam habet peccatum mortale. Sic communior, probabilior et tutior theologorum sententia cum Kazenberger in Supplemento Theologiæ Patritii; Sporer cap. 3, de Indulgentiis, num. 5; Reiffenstuel Theolog. Moral. tract. 12, dist. 3, q. 5, num. 49; Corduba, Cajetan., Rodriguez, Layman, Bellarm., Sanctarell., de Jubilæo, c. 10, dub. 3; Viva de Jubilæo, quæst. 8, art. 3, sub n. 2, contra Filliucium, Paludanum, Coninch., Henriq., Palaum, et alios. Et ratio est, quia tunc confessio actualis censetur esse conditio necessario requisita ad indulgentiæ consecutionem. Indulgentiæ enim tantum valent quantum sonant, et explicandæ et acquirendæ sunt sicut in bullis exprimitur. (22. Et hoc verum est, etiamsi in bulla dicatur quod conceditur indulgentia Jubilæi *contritis et confessis, seu vere penitentibus et confessis*, quia particula *et* non est disjunctiva, sed conjunctiva, et copulativa; dispositio autem copulata utriusque partis veritatem exigit; quando enim plures qualitates in subjecto requiruntur copulative (ut in præsentibus habetur), tunc omnes debent concurrere ut dispositio habeat suum locum, ex l. *Si is qui*, ff. de rebus dubiis. (23. Ita doctores supracitati. Quando autem in concessione Jubilæi non expresse exigitur confessio, sufficit ut lucraturus Jubilæum seu indulgentiam existat in gratia sanctificante per contritionem perfectam; quia existens in gratia per contritionem est capax indulgentiæ seu Jubilæi; nec in concessione ipsius requiritur actualis confessio, ut supponitur, adeoque in tali casu non est necessaria confessio actualis. Sic Reginaldus, Bonac., Suar., Faber et alii cum Kazenberger loc. cit., num. 29, et *Communis* aliorum cum Mastro Theolog. moral., disput. 23, q. 4, n. 63; Reiffenst. loc. cit., num. 48.

(24. Quando in bulla Jubilæi conceditur indulgentia *contritis et confessis, seu vere penitentibus et confessis*, non requiritur actualis confessio, sed sufficit quod lucraturus Jubilæum post ultimam confessionem perseveraverit in gratia usque ad diem vel tempus lucrandi Jubilæum seu indulgentiam. Vide verb. *Indulgentia*, art. 3, n. 35, ubi et citantur doctores, et adducitur ratio pro hac conclusione. (25. Imo nedum non requiritur in tali casu confessio peccatorum mortalium alias rite confessorum, sed neque confessio venialium, nisi in concessione Jubilæi expresse requiratur confessio etiam de solis venialibus. Vide ibid., n. 34, ubi citantur doctores et adducitur ratio. Quando vero ex concessione Jubilæi requiritur confessio actualis, tunc non sufficit confessio sacrilega, seu voluntarie nulla, ut colligitur ex